

Serie Generale 2a

(ST) *** In nomine Domini nostri Ihesu Christi. Anno eius millesimo ducentesimo, inditione tercia***. Ad honorem Dei et beate Marie et beati Iohannis et omnium sanctorum et sanctarum Dei. Precepto et ordinatione domini Nicholay de Foro potestatis Astensium, nomine et vice communis civitatis Astensis, et precepto et ordinatione domini Ayroldi Vicedomini potestatis Vercellensium, nomine et vice communis civitatis Vercellarum, quibus discordia que vertebatur inter dominum Arduinum Taurinensem episcopum, nomine ecclesie, et homines de Taurino, nomine eorum communis, et illos de Cavurreto et de Ruviliasco et comites de Blandrato et omnes de eorum parte, ab una parte, et inter Carienses pro eorum comuni et [Te]stonenses et illos de Plociasco et illos de Cavurro et omnes de eorum parte, ab altera parte, consensu ambarum partium terminanda et deci[den]da comissa erat talis pax et concordia utraque parte omnia sciente et in eis consentiente facta est et ordinata. In primis siquidem dominus Arduinus [Taur]inensis episcopus nomine ecclesie et dominus Iacobus de Guialardis Taurinensium potestas, nomine communis civitatis Taurini et nomine illorum de Cavur[reto] et comitum de Blandrato et nomine illorum de Ruviliasco et nomine omnium aliorum de eorum parte qui huic paci et concordie stare voluerint, debent facere pacem et finem et refutationem Rolando Bergognino potestati de Cario et Iacobo Palio potestati de Testona nomine communis illorum locorum et nomine illorum de Cavurro et de Plociasco et omnium aliorum ex eorum parte qui huic concordie et paci stare voluerint de omnibus maleficiis et malefactis ab eis factis et perpetratis usque ad diem quo iuraverunt stare mandatis potestatum Astensium et Vercellarum in manibus ambaxatorum eorum quorum nomina sunt: Bonus Iohannes Manginus et Girardus de Carisio ex parte Vercellensium, et Girardus Ginorius et Henricus Soldanus ex parte Astensium. Similiter dominus Rolandus Bergogninus potestas Cariensium nomine et vice communis de Cario et dominus Iacobus Palius potestas Testonensium nomine et vice communis de Testona et nomine et vice illorum de Cavurro et de Plociasco et omnium aliorum partis eorum qui huic concordie et paci stare voluerint, debent facere pacem et finem et refutationem domino Arduino Taurinensi episcopo nomine Taurinensis ecclesie et domino Iacobo de Guialardis Taurinensium potestati nomine communis Taurini et nomine illorum de Cavurreto et comitum de Blandrato et nomine illorum de Ruviliasco et omium aliorum partis eorum qui huic paci et concordie stare voluerint de omnibus maleficiis et malefactis ab eis factis et perpetratis usque ad illum diem quo iuraverunt stare mandatis potestatum Astensium et Vercellarum in manibus predictorum ambaxiatorum eorum ita ut utraque pars^{a)} in perpetuum in pace permaneat. Item dominus Arduinus Taurinensis episcopus nomine Taurinensis ecclesie, consilio et consensu canonicorum Taurinensis ecclesie et dominus Iacobus de Guialardis Taurinensium potestas nomine communis de Taurino debent facere datum et donum, finem et refutationem in manu Rolandi Bergognini Cariensium potestatis nomine communis Carii et vice illius communis nominatim de omni castellata Montoxoli exceptis his que Porcellus ibi emit et eis exceptis que aliisque ecclesie ibi haberent ad proprium. Eo modo ut comune de Cario a modo predictam castellatam ita libere et quiete teneat et possideat et quicquid voluerit faciat sicut tenet Carium et aliquam aliam villam quam habeat et sicut facit de Cario et de aliqua villa quam habeat sine contradictione predicti Taurinensis episcopi et successorum eius et Taurinensis ecclesie et sine contradictione Taurinensium et communis eorum, eo tamen salvo quod dominus Taurinensis episcopus illud ius habeat in predicta castellata quod habet in Cario et in aliis villis quas Carienses tenent et possident et eo salvo quod sit in electione Cariensium convenire dominum Taurinensem episcopum de castro Montoxoli si voluerint et ipse episcopus teneatur inde ei facere rationem. Ita si de illo castro episcopum Taurini convenirent in aliquo tempore quod tunc liceat ipsi episcopo convenire Carienses de predicta castellata si voluerit non obstante supradicto fine et Carienses teneantur inde ei facere rationem. Verum si Carienses nollent episcopum Taurini de predicto castro convenire, episcopus Taurini non possit convenire Carienses de predicta castellata ullo modo in aliquo tempore. Item castellanus Montoxoli qui nunc est vel pro tempore fuerit debet iurare bona fide et sine fraude salvare et custodire, adiuvare et deffendere homines de Cario et de eorum posse pro comuni et pro diviso in personis et in rebus eorum omnimodis in Montoxolo et in eius posse et quod de castro Montoxoli nec de se non exhibet aliquod malum Cariensibus nec pro comuni nec pro diviso in personis nec in rebus eorum ullo modo et quod non vetabit Cariensibus quin in castro illo se reducant pro comuni et pro diviso si aliqua necessitas eis eveniret, imo eos ibi reducat et permettet reducere. Et si Taurinensis episcopus vel Taurinenses vellent de isto castello facere

aliquid tortum vel aliquam iniuriam hominibus de Cario pro comuni vel pro diviso tunc castellanus qui nunc ibi est vel pro tempore fuerit teneatur sacramento inde adiuvare Carienses pro comuni et pro diviso contra episcopum et contra Taurinenses. Et hec omnia supradicta teneatur facere castellanus Montoxoli qui nunc est vel pro tempore fuerit non obstante ei sacramento fidelitatis Taurinensis episcopi et episcopus sacramento teneatur remittere illi castellano sacramentum fidelitatis in omnibus supradictis. Item dominus episcopus Taurini iuret omnia supradicta firma tenere nec in aliquo tempore removere et quod per se nec per alium in aliquo tempore de castro Montoxoli non faciet aliquid tortum vel aliquam iniuriam hominibus de Cario in personis nec in havere pro comuni nec pro diviso ullo modo. Preterea homines de Taurino voluntate et precepto domini Taurinensis episcopi debent iurare si dominus Taurinensis episcopus vel castellanus Montoxoli in aliquo tempore faceret aliquid tortum vel aliquam iniuriam de castro Montoxoli Cariensibus pro comuni vel pro diviso in personis vel in rebus eorum quod debent episcopo et castellano defficere et Carienses firmiter de hoc contra episcopum et contra castellanum adiuvare, donec tortum vel iniuria eis restituatur. Simile sacramentum prestabunt Carienses Taurinensis si episcopus Taurini vel castellanus Montoxoli de castro illo aliquid tortum vel iniuriam faceret ipsis Taurinensis. Super facto Testonensium sic ordinatum est, quod dominus Taurinensis episcopus qui nunc est vel pro tempore fuerit debet ponere castellanum vel castellanos qui pro temporibus fuerint in veteri castro Testone cum consensu et consilio Testonensium si de eo cum eis se concordare poterit, quod si de illo castellano cum eis se concordare non poterit debet ibi ponere illum castellanum quem potestates vel consules Aste et Vercellarum per tempora existentes eligerint, quod si de illo castellano eligendo concordes esse non poterint tunc Taurinensis episcopus debet ibi ponere illum castellanum quem plus utilem Testonensis et eis minus iniuriosum et odiosum esse crediderit et quem illi de Testona minus suspectum habeant et qui melius possit et debeat dominum episcopum et Testonenses in concordia et amicicia retinere. Qui castellanus idem sacramentum facere debet de castro Testone et de Testonensis quemadmodum supradictum est de castellano Montoxoli de castro Montoxoli et de Cariensibus. Item simile sacramentum faciet dominus Taurinensis episcopus Testonensis de veteri castro Testone et eodem modo teneatur facere quemadmodum supradictum est quod iurare et facere debeat de castro Montoxoli Cariensibus. Preterea Taurinenses simile et idem sacramentum prestare debent^{b)} de veteri castro Testone et de castellano ipsius castri et de domino Taurinensi episcopo Testonensis ut supradictum est quod faciunt de castro Montoxoli et de castellano ipsius castri et de domino Taurinensi episcopo Cariensibus et eodem modo et Testonenses similiter facere debent Taurinensis. Item liceat Testonensis habere et facere domos, refugium et cellaria in veteri castro Testone si eis placuerit. Item Testonenses pro comuni et pro diviso eorum habeant, a modo teneant firmiterque possideant omnes usus omnesque consuetudines, tenutas et possessiones quos et quas habebant, tenebant et possidebant eo tempore quo dominus Milo olim Taurinensis episcopus primum intravit in vetus castrum Testone et si quas possessiones vel tenutas episcopus vel alius pro eo habet vel tenet quas episcopus Milo vel ipse postea occupasset, episcopus eas Testonensis et comuni et diviso eorum sine mora restituat eo salvo quod liceat Taurinensi episcopo de his possessionibus Testonense rationabiliter convenire si voluerit sub examine potestatum vel consulum Aste et Vercellarum per tempora existentium. Item liceat Taurinensi episcopo convenire Testonenses de novo castelleto si voluerit sub examine predictarum potestatum vel consulum per tempora existentium et ipsi teneantur inde ei facere rationem, ita tamen si constiterit de iure illud esse destruendum quod destruatur. Si vero destrui non debuerit castellanus illius castri et Testonenses iurent Taurinensi episcopo sicut episcopus et castellanus veteris castri iurant Testonensis. Item si Testonenses in veteri castro Testone aliquod ius exigere voluerint libere possint exigere et sub examine predictarum potestatum vel consulum Aste et Vercellarum illud ius debeant cognoscere et episcopus teneatur sub eisdem potestatibus vel consulibus rationem eis facere. Preterea episcopus Taurini nomine ecclesie et potestas Taurini nomine communis de Taurino debent promittere comiti Sabaudie quod facient ei iusticiam de his que contra episcopum et contra comune Taurini proponere voluerit et si comes inde iusticiam recipere voluerit tunc episcopus et comune Taurini ei iusticiam facere debent. Et si episcopus et comune Taurini illam iusticiam ei facere noluerint tunc Carienses et Testonenses citra Padum et ultra Padum debent adiuvare comitem si voluerint. Et si comes illam iusticiam recipere noluerit tunc comune Carii et Testone non debent salire supra terram episcopi nec supra terram hominum et communis Taurini nec ullo modo eos offendere in

personis nec in rebus eorum nisi forte terram comitis deffendendo^{c)} quam eis liceat deffendere si voluerint. Super facto domini Taurinensis episcopi et illorum de Plociasco sic statutum est a predictis potestatibus, videlicet quod liceat ipsi episcopo et illis clericis qui cum eo capti fuerunt convenire illos de Plociasco sub examine potestatis vel consulum Aste et Vercellarum per tempora existentium de malefactis et de omnibus aliis de quibuscumque eos convenire voluerint et illi de Plociasco liceat similiter ipsum episcopum et clericos sub eisdem potestatibus vel consulibus convenire de maleficiis et de omnibus aliis de quibuscumque eos convenire voluerint, faciendo utraque parte tales securitates que potestatibus vel consulibus supradictis placeant et que ad eorum querimonias sufficient. Insuper dominus Arduinus Taurinensis episcopus debet iurare supra Dei evangelia bona fide et sine fraude et sine omni malo ingenio, consensu et voluntate predictorum clericorum suorum, omnia supradicta in omnibus et per omnia ex sua parte observare facere et complere et firma tenere et hanc pacem et concordiam in perpetuum firmam tenere nec ea ullo modo in aliquo tempore removere. Item dominus Iacobus de Guialardis Taurinensium potestas nomine et vice communis Taurini et dominus Rolandus Bergogninus potestas Carii nomine et vice communis Carii et dominus Iacobus Palius potestas Testone nomine et vice communis Testone ex eorum parte debent iurare illud idem quod iurabit dominus episcopus de pace et de concordia et de omnibus supradictis et debent facere iurare illud idem potestates et consules post eos intrantes attendere et observare ita quod et ipsi teneantur facere successores suos potestates vel consules de anno in annum hoc idem ita ut in perpetuum hoc sacramentum fiat a potestatibus vel consulibus predictorum locorum semper in unoquoque anno. Item debent facere iurare omnes homines eorum locorum quorum sunt potestates a .XIIII. annis usque ad .LXX. hanc pacem et concordiam et omnia supradicta in perpetuum observare et firma tenere nec in aliquo tempore removere^{d)} nisi comuni parcum voluntate remanserit. Hec omnia debent iurare Carienses et Testonenses et eorum potestates salvis Astensibus et Taurinenses et eorum potestas salvis Vercellensibus. Huius pacis et concordie ordinatio facta fuit die iovis .X°. intrantis februarii. Eodem die iovis .X°. intrantis februarii, in campis de Mairano, dominus Arduinus Taurinensis episcopus nomine ecclesie de Taurino, consilio et consensu canonicorum Taurinensis ecclesie, videlicet Henrici archidiaconi, Uberti cantoris, Eurardi primicerii, Willelmi de Romagnano et Ottonis Zucche et dominus Iacobus de Guialardis Taurinensium potestas nomine communis Taurini et dominus Rolandus Bergogninus Cariensium potestas nomine communis de Cario et dominus Iacobus Palius potestas Testone nomine communis Testone, precepto domini Nicholai de Foro potestatis Astensium et domini Ayroldi Vicedomini potestatis Vercellarum quibus discordia eorum terminanda et finienda commissa erat, fecerunt inter se pacem et finem et refutationem de omnibus maleficiis et dampnis hinc inde datis et factis et de omnibus aliis sicut in supradicto scripto pacis et concordie eorum continetur et insuper iuraverunt supra Dei evangelia sicut supra in scripto pacis et concordie eorum continetur attendere et observare bona fide. Interfuerunt testes magister Iacobus de Cerriono, Bonus Iohannes Manginus, Wala Alciatus, Contus de Cumis, Baiamundus de Platea, Nicolaus Gardinus, Iacobus Careocius et multi alii. Preterea isti de Taurino iuraverunt supra Dei evangelia sicut in scripto pacis et concordie supradicte continetur attendere et observare bona fide: Biglus, Ardicio Arpinus, Robaldus Calcagnus, Gavarrus, Ardicio de Ruvure, Iacobus Silus, Petrus Blancus, Wala Gibuinus, Gioldus de la Prevosta, Petrus Porcellus, Nicholaus Porcellus, Willelmus Beccetus, Petrus Riba, Henricus Maltraversus, Willelmus Vuascus, Otto Zuccha, Iacobus Lonbardus, Iohannes Carmenta, Andrea Scopus et Bosus notarius. De Cario isti iuraverunt idem: Ulricus Puglolius, Ubertus de donna Benza, Merlus, Iacobus Salvagnus, Petrus Boverius, Petrus Gribaldus, Iordanus de Ponte, Rolandus de Aste, Willelmus Quatorze, Mainfredus de Zerbo, Willelmus Rasorius, Milo Merlus, Iacobus Vigonus, Otto de ser Limoge, Willelmus Puglolus, Iohannes Mainardus, Wiotus Centorius, Segnorinus Balbus, Wiotus Pirus, Ulricus Tana, Petrus Vacca et Baiamundus Grolius. De Testona iuraverunt isti idem: Wibertus de Rivula, Wibertus de la Valle, Philippus Bergognonus, Willelmus Platus, Thomas Granerius, Iacobus Calix, Drous de Romano, Girbaldus Marcoaldus, Willelmus de Romano, Ardicio Niger, Iohannes Catena, Willelmus Panzonius, Obertus de Roculo, Iohannes Falavisca, Iohannes Punzilonus, Otto Bigoga, Iohannes de Armello, Ubertus Saccus, Iohannes Bidanus, Iacobus Portiglola, Iohannes Magnanus, Wido de Serra, Iacobus Granerius, Willelmus de Armello et Wido Balduinus. Omnes supradicti de Taurino et de Cario et de Testona iuraverunt ipso die et in crastino. Ego Iacobus Boviculus, notarius palatinus, sacramento domini Taurinensis episcopus et potestatis Taurini^{e)} et potestatis Carii et potestatis Testone et aliorum supradictorum interfui et ea que supra

scripta sunt precepto predictarum potestatum Aste et Vercellarum scripsi.

- a) pars *inserito nell'interlineo*. ^{b)} debent *inserito nell'interlineo*. ^{c)} A: deffendo. ^{d)} nec in aliquo tempore removere *inserito nell'interlineo*. ^{e)} et potestatis Taurini *inserito nell'interlineo*.

Serie Generale 2b

(ST) Anno Domini millesimo ducentesimo, inditione tercia, die veneris .XI°. intrantis februarii. Presentia infrascriptorum, dominus Arduinus Taurinensis episcopus et dominus Iacobus de Guialardis Taurinensium potestas et dominus Rolandus Bergogninus potestas Carii et dominus Iacobus Palius potestas Testone et precepto et ordinatione domini Nicholai de Foro potestatis Astensium et domini Airoldi Vicedomini potestatis Vercellarum, quibus discordia que inter eos vertebatur terminanda et finienda comissa erat, fecerunt inter se et unus aduersus alterum pacem et finem et refutationem de omnibus dampnis et maleficiis hinc inde datis et factis et de omnibus aliis sicut in scripto pacis et concordie eorum continentur et insuper dominus Arduinus Taurinensis episcopus nomine ecclesie et dominus Iacobus de Guialardis Taurinensium potestas Taurini nomine communis Taurini fecerunt donum et datum et pacem et finem^{a)} et refutationem in manu domini Rolandi Bergognini potestatis Carii nomine communis Carii et pacem et finem et refutationem fecerunt in manu Iacobi Palii potestatis Testone nomine communis Testone de omnibus his que in scripto pacis et concordie eorum continentur et sicut ibi scriptum est. Preterea dominus Iacobus de Guialardis Taurinensium potestas nomine communis Taurini et nomine domini Arduini Taurinensis episcopus qui ibi presens erat et ipsi Iacobo preceperat precepto et ordinatione predictarum potestatum Aste et Vercellarum in signum pacis et concordie osculatus est dominum Rolandum Bergogninum potestatem Carii nomine communis Carii et dominum Iacobum Palium potestatem Testone nomine communis Testone, versavice ipsi ambo scilicet Rolandus Bergogninus et Iacobus Palius nomine communis Carii et Testone iussu earum potestatum Aste scilicet et Vercellarum osculati sunt ipsum Iacobum de Guialardis nomine communis Taurini et nomine Taurinensis episcopi in signo pacis et concordie. Insuper predicte potestates Aste scilicet et Vercellarum preceperunt domino Arduino Taurinensi episcopo et domino Iacobo de Guialardis potestati Taurini et domino Rolando Bergognino potestati de Cario et domino Iacobo Palio potestati Testone nomine communis eorum locorum quorum sunt potestates ut inter se firmam pacem perpetuo teneant sicut preceptum eorum scriptum est et ordinatum. Et de hoc et de predicta concordia plures cartas in uno tenore fieri et scribi preceperunt.

Actum in campis de Mairano. Interfuerunt testes: Baiamundus de Platea, Nicholaus Gardinus, Vivianus de Fontana, Iacobus Careocius, Petrus Turrellus, Rolandus Testa et Cargia omnes de Aste, magister Iacobus de Cerriono, Bonus Iohannes Manginus, Vala Alciatus omnes de Vercellis et Contus de Cumis et multi alii.

Ego Iacobus Boviculus notarius palatinus interfui et precepto domini Nicholay de Foro potestatis Astensium et domini Airoldi Vicedomini potestatis Vercellarum de hoc et de supradicta concordia plures cartas in uno tenore scripsi^{b)}.

^{a)} A: et finem et finem, *corretto per espunzione di et finem*. ^{b)} A: scripsi, *con particolare elaborazione grafica*.